

I O H A N
G E O R G.



D V C & S A X

V B
208



231 Suppl. 10ⁿ, 10^a =

2, 5.

21



De Ensis & Rota

ILLVSTRISSIMO
RVM DVCVM SAXONIAE
INSIGNIBVS

AD

ILLVSTRISSIMOS
PRINCEPS AC DOMINOS, DOMI-
NVM CHRISTIANVM: DOMINVM IOHAN-
NEM GEORGIVM: DOMINVM AVGV-
STVM: FRATRES ET DVCE
SAXONIAE, &c.

Dominos ^{SU} ~~nos~~ clementissimos

Carmen Heroicum

SCRIPTVM ET EDITVM

à

M. IACOBO BOHEMO.

L I P S I Æ,

Excudebat Abraham Lamberg.

A N N O

M. D. XCVI.



*ENSE Magistratum fecit DEVS ipse potentem,
Saxonicis clypeis ENSIS inde micat.
Imperium FERRO Romanum nititur: ENSE hinc
Induperatori Saxo minister adest.*



*Nulla modis adeò permultis herbula praestat,
Quàm viridis, germen nobile, RUTA valet.
Inde Ducum exornat RUTATA insigne corona,
Saxonia, illustris quòd mage nulla, Domo.*





ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS, DOMINO CHRISTIANO, DO-
MINO IOHANNI GEORGIO, DOMINO AVGVSTO,
Fratribus ac Ducibus Saxoniae, Langrauijs Turingiae, & Mar-
chionibus Misniae, &c. Dominis meis
clementissimis.

VITA SALVS VICTORIA.

Crandia fabulatur in octauo magni o-
peris libro Virgilius de Aeneae clypeo, quem ingens
argumentum, & non enarrabile textum mirum in
modum fingit non solum, sed etiam rogatu Veneris ab ipso
Vulcano formatum, multis Romanorum factis exornatum,
eaq; omnia in Octauij Augusti gratiam ingeniose narrat.
Quidni illustrijs. Principes, Dn. CHRISTIANE, Do. I O-
HANNES GEORGI, Dom. AVGVSTE, Vestr. quoq;
Celsitud. insignia, quae vt antiquissima, ita etiam heroica
virtute, illustribus factis, potestate principe clarissima, car-
minum sermone celebrentur & Virgilius enim quae nun-
quam fuere de clypeo somniat. Insignia vero Domus Saxo-
niae inclyta etiamnum cum suis Ducibus in medio sunt, &
immortali dignitate exsplendescunt. Virgilius Vulcani ar-
tificio, & Veneris dono clypeum Aeneae commentitur: At
inclyta Domus, vetus & illustris Ducum Saxoniorum
familia nullius Vulcani, sed DEI Opt. Max. beneficio exti-
tit, & tam multis seculorum aetatibus imminuta eminuit:
non Veneris alicuius, sed virtutis munere amplissima facta
totius poenae Germaniae columen habetur. Virgilius Au-
gusto gratificaturus rebus a Romanis praecclare gestis opus
quasi perpolitum ac caelatum facit: insignia autem inclyto-
rum Ducum Saxoniae tam maiorum praestantia, quam po-

steritatis excellentia partim bellicâ, partim togatâ acquisita
sunt, & geruntur ita, vt non humano consilio, sed cœlestium
voluntate inclytæ huic Domui attributa & concessa vide
antur. Vnde etiam mihi ex stupefcenti E N S I V M & R V
T A E consideratione carmen illud natum est, quod illustris.
V. Celsitud. do dicoq; , maxima animi submissione orans,
obsecrans, vt id quàm clementissimè accipiatis.

CHRISTVS Ecclesiæ militantis Antesignanus & Epistat
tes illustris. Vest. Celsitud. & vniuersam familiam Saxo
nicam diutissimè seruet, sospitet, superstitem tueatur : vt
Vobis Ducibus pax intra muros, & prosperitas in palatijs
nostris habitet, in DE I gloriam, Vestram laudem, commu
nis vtilitatis salutem. Garnitiij, XV. Kal. Sextilis, Anno
reparatæ salutis D. ac X C V I, supra mille.

V. Illustris.

Celsitud.

Subiectis.

M. Iacobus Bohemus.



Ille ego, qui quondam pralustris tecta Lycei
Flumine caruleo qua praterlabitur Albis
Ut colerem Musas annos ad quinque subiui:
Inde ego qui petij Phœbeia castra, Ducumq;
Munificentia ibi sanum sapientia et artis
Gustavi sicco quinquennis guttere nectar,
Voluit ubi rapidas Philyraus Elister arenas:
Nunc ut apud memorem quoq; stet bene gratia facti,
ENSESQUE ET RUTAM, qua sunt insignia auita,
Saxonia eterna qua gestat laude Ducatus,
Mœonio breuiter conabor dicere versu.
Tu iam qua sedem posuisti in rupe Sionis
Diua, cuiq; patent omnes sacraria in horas
Alta vetustatis, constant penetralia veri,
Huc ades, et memora generosa insignia quare
Sint Ducibus GLADI in clypeo, et RUTATA CO-
Illis arcana est certe virtutis imago, (RONA.
Tu succurre meo non aspernata labori.
Supremi qui non ingentia munera Ioue
Urbibus et fasces, terrisq; potentia sceptrum
Esse putat, rabidos oculus opponat agrestes.
Nam olim Munsterus scelerata agitata Erynni
Tartareo agricolas clangore accendit ad arma,
Ut regnatorum iuga frangant Marte rebelles,
Et libertatem telis acquirere tentent.
Hic ergo armatus subito sude currit obusta,
Hic hastam, aut hebetem gestat mucrone bipennem,
Multa aptat lateri gladium ferruginis alter.



Nempe Magistratus Bellona extinguere nomen
Nulliusq̄ potestati parere deinceps,
Omnes ardor agit, cunctis furor arma ministrat.
At rem Saxoniam trepido turbare tumultu
Non tulit agricolas, rerum cui summa potestas
Æthereus Rex, insanos sed triste manere
Supplicium iussit cum belli auctore colonos.
Namq̄ ubi certatim concurrere agrestia sentit
Agmina nobilibus diram minitantiæ cadem
Magnanimus princeps, et prudentissimus idem,
Qui tum Saxonia populos ditioe tenebat,
Tyrigetum fines, nec non Misneidos arua,
Ilicet horrendum bello depellere bellum
Apparat, et turmas subito conclamat equestres.
Ductorem sequitur pugna lectissima pubes,
Agricolamq̄ aciem crudeli funere sternit,
Et ferre indomitos cogit patienter habenas.
Ipse inter primos Munsterus sanguine pœnas
Turbarum pendit, serosq̄ relinquit in annos
Exemplum, vano quid sit fremuisse tumultu,
Contra fata DEI, contra sanctissima fata.
Discite subiecti Dominorum sceptræ vereri,
Fortunamq̄ suam consistat quilibet intra,
Neue exhorrescat diuino numine vultus
Quoscunq̄ inferior sublatus cernit in altum,
Namq̄ opus imperijs, opus his qui iussa capessunt.
Nec minus interea sortem natura beatam
Vnicuiq̄ dedit: rectè nouisse sed uti,

Hoc

Hoc opus, hic labor est, hac est via prima salutis.

Principio verò stellantis Rector Olympi
Omnia sub pedibus vertiq; regiū volebat
Primæui, ac huius quot nati à stirpe, satoris.
At quia sufflati melioris Adamus & Eva
Spe sortis temerant (eheu) mandata Tonantis,
Mox bona disspereunt pulcerrima libertatis,
Ec labor, & cura subeunt, & nunc quoq; paucis
Contingit Dominus, sed pluribus esse ministris.
Iura tamen solio plebi qui dicit ab alto,
Nequaquam ex sese, cælesti munere dicit.
Ipse DEVS reges vocat, ipse in regna vocatos
Expellit regnis: venerando ipse intonat ore:
Me me rectores populi indulgente gubernant,
Per me principibus custodia iuris & æqui
Creditur, & quibus in terris concessa potestas.
Quin ipse Altitonans gravitatem fascibus addit,
Atq; gubernaculum Dominis sic tradidit olim:
Quicumq; humana truculentas imbuit audax
Cæde manus, cædem tristi persolvat Amæbe.
Quicumq; intrepidus iussis contraria nostris
Committit scelera, ille luat de sanguine pœnas,
Ut metuant alij formidine temnere Iouam.
Va tibi quis spolijs gaudes prædator opimis,
Exuvijs quoq; te viduabit debitus ultor.
Hoc illud, reor, est, hoc nomine & omine gestit
Saxo suis clypeis, & qui nascuntur ab illo,
Ceu Ducibus mos est insignia ferrea ferre.

Osa

O factum diu: dijs quia creuit & aucta est
Saxonica stirpis Domus illustrissima fatis,
Arbitrioq; DEI rerum moderatur habenas.

Exin, gens hominum cum sese sanguine ab uno
Scinderet, & varijs passim consisteret oris,
Postquam Lamechides ultricibus altus in undis
Auxisset vacuum prole atq; nepotibus orbem:
Inuasit multos (natura semina nempe
Quisq; suae ut sequitur; natus natiq; sequuntur
Sic Protoplastem) dominandi immensa cupido.
Chusades ergo celsa Nimrodus in arce
Vi magna erexit Babylonia regna, superbus
Vicinosq; sibi populosq; urbesq; subegit,
Quo primo Assyrii primi capere Monarcha,
Aureaq; Assyrii, sceptraq; argentea Persae
Medumq; illustres animae, sed abenea Reges
Argolici, nec non regni tenuere coronam.
Ultima post illos Romana potentia pollet,
Imperij exaequans ferri cum robore vires,
Vnde & praesentes captat mea Musa labores.
Ac velut auriq; argentiq; aeriq; metallo
Nobilitate sua cedit vilissima ferri
Materies: sed non ferri fortissimus usus
Inferior, longè est maior ferri optimus usus.
Haud aliter, quamuis maiestas ipsa priori
Cedere dicatur, Romanae gloria gentis,
Attamen haud minor est: magna de stirpe nepotes
Ascanij praestant, praestant mauortibus ausis,
Armisq; insignes, quibus aequant nomen Olympo.

Hic

Hic autem ratio caussa hic manifesta subinde
Sese aperit nobis, qui fiat bellipotentis
Incluta Saxonia quod gens insigne paternum
Iuxta alia in clypeo geminos iunctim gerat enses,
Prole sub hac ferri stirps augustissima famam
Exeruit, claris cumulando nomina factis,
Illustrisq; Ducum generosis frondibus arbor
Floruit, & plures cepit diffundere ramos,
Qui veteres Mysos, subiectos quiq; Thuringos,
Saxoniasq; oras regnandas ordine longo
Accepere; quot hinc caeli venere sub axem
Magnanimi Heroes, quorum de sanguine quosdam
Imperij trabea cinctuq; ornauit, & auxit
Caesareus titulus virtus heroica virtus?
Hinc quot preclarum, quae so, Electoris honorem
Saxonici tulerunt, Romani quos vocitamus
Imperij Ensiferos, soboles quos ferrea fecit?
Eia agite illustres anima: o diuina progago
Teutonice, ut quondam, sic nunc clarissima gentis
Gloria: perpetua pollebit prole, nec unquam
Imperij Ensiferos tellus Misnaea negabit,
Dum Germanorum laudesq; decusq; manebunt.
Ut imur augurio neq; falso, ferrea nempe
Planta suis digitis & vos amplectitur, & vos
Innuo aeterno functuros prolis honore.
Saluete augusti proceres: salue incluta saluo
Stemmata progenies totidem per secula, teq;
Longaeus videat nulla absq; nepotibus aetas,

B

Opta-

Optamus: DEVS hæc optantibus annue nobis.

Deinde metallorum nulli superabile ferrum:
Duritiam. dura est auri natura: recocti
Argenti dura est vis insita: durior æris:
Hæc tamen ex cunctis longè durissima ferri.
Est neq; de nihilo, dextra diuinitus ensem
Quod gerat armipotens rerum quicumq; Magister.
Qui audaces scelerare manus, qui fasq; nefasq;
Vertere nil metuunt, urgere hos vindice pœna,
Dia ministeria hæc, cælo hic gratissimus ultor.
Nam legemq; gregemq;, arasq; focosq; tueri
Maxima Principibus sunt munia, gaudia Diuis.
Diuum consilio plebs ut subiecta regatur,
Alma Dice & Nemesis famulantur in orbe & in urbe.
Ecce autem rursus, quæ dixi, quàm benè cuncta
Talia conueniant illustrißima vobis
Pectora. namq; docent, vestrum qua laude Ducatum
In clypeo deceat gladios gestare coruscos.
Hic ego iam nunc si pugnata prioribus annis
Prælia reppererem proauumq; illustria facta:
Quæ rerum series longi qui carminis ordo
Offerrent sese quibus essem viribus impar?
At non ista meæ tenuis sunt indiga laudis,
Inclytæ terrarum dudum quæ fama per orbem
Et tulit, & iussit fera ire per ora nepotum,
Quæ durabilior ferro omni fama perennat.
Hos ENSES ferrum peperit, constantia in armis,
Magnanimum pectus, nec non ingentia gesta

Hoc

Hoc gestamen auis mœnere, æternaq̄ clari
Nominis æquarunt magno præconia cælo.
Posteritas verò neq̄ bellatrice Togata
Posterior longè fuit, ut non viuimus uno
Voto omnes, vsa est vsq̄, et nunc utitur ENSE
Non minus ac hosti aduerso qui Marte resistunt.
Quare, neq̄ inuenies pagos, neq̄ mœnia, quæ non
Iura Ducum officio iustissima iura loquantur,
Qui Muldam Salamq̄ bibunt, quorumq̄ per agros
Piscifer undoso de flumine voluitur Albis:
Hercinijs quorum prolapsæ montibus undæ
Pingues fœcundant campos, humoribus augent.
Vrbes alma Themis legum custode coronat,
In populo ius fasq̄ viget, lis, visq̄ dolusq̄
Exulat, ac placidis passim pax aduolat alis,
Unde etiam in nostro Saturnia secula seculo
Iam rediisse puto terris. ò Misnica tellus,
Saxonia ò flexis, ò oppida et arua Turinga
Surgite poplitibus, placidaq̄ in pace regentes
Discite amare Duces, Diuûmq̄ agnoscite munus.
O vos, qui populus, quoties hos cernitis ENSES
Insignire Ducum clypeos, attendite, quantus
Vos benefactorum cumulus comitetur euntes,
Vos DEVS illorum curat tutamine saluos.
Qualiter excelso se tollit vertice in auras
Æthereas arbor, grandis, procera, cacumen
Umbrosum cuius stellantia terminat astra,
Cuius et extremos pertingunt brachia fines,

Quaeq; comis ridet, multisq; uberrima pomis
Omnibus optatam parit esurientibus escam,
Cunctaq; sub ramis spaciosis secla ferarum
Umbrae q; et requiem capiunt, genus omne volucrum
Aëra vel cantu mulcet, circumq; supraq;
Vel sibi componit nidos sub frondibus altis.
Taliter imperij robusta columna Ducatus
Saxonicus Romani, ingentes arboris instar
Explicuit frondes, frondes imò explicat usq;
Quarum illustre decus quas non penetravit in oras,
Qui non mirantur gentem, mirantur et ipsam
Heroum sobolem, cuius sub tegmine dulces
Iustitiae fructus, tranquilla et munera pacis
Urbe, domo, ruri nullo turbante tot annos
Carpimus, ac hilaris sectatur quisq; Mineruam
Natura admittente suam, Diuumq; favore?

Pergite Sionides, nunc altera carminis huius
Se mihi pars aperit, versu nunc dicere fas est
RVTA quod in clypeo gladijs adpicta coruscis
Antiquum Ducibus gestamen fulgeat: an non
RVTA salutiferi (magnis componere parua
Si volumus) multa ostendit mysteria verbi?
Dicite Sionides, quae RVTA ab origine prima
Surgat, quae vires illa nascantur in herba,
In se saluifici teneat quae mystica verbi,
Vos arcana latent nulla, et memorare potestis.

Insignem Pastor versabat in ossibus ignem,
Corpore quae fuerat praestanti virginis ergo:

Hanc

Hanc sibi tædarum poscebat iure, vocabat
Hanc desiderio quando prodibat Eois,
Et quando Hesperijs Sol mergebatur in undis.
Post miser insano nimium correptus amore
Tabuit, & buxo verba hæc supremus ab ore
Pallidiore ferens, ô perditè amata puella,
O inuicta vale, dixit, vitamq; reliquit.
Numen ubi agrestum Faunus sic vidit amantem
Collabi miserum, sortem miseratus iniquam
Corpus inane animæ ut sic vermibus esca iaceret
Noluit, hinc RV TAM sed fecit crescere: RV TA
Succrevere simul tor muneris sana, salubres
Totq; potestates, arcani audite quid hic sit.
Diuina humanis animabus pabula dantem
Ardebat nimium pastorem Ecclesia virgo,
Quam sibi letitiæ pastor, vitæq; sibi quam
Adiungi sociam miro properabat amore.
At Virgo auersans sincerum illius amorem,
Pulcra libidinibus fedabat membra, malisq;
Obruta lethiferis Orco demissa fuisset,
Ille nisi auxilio citius venisset amator,
Qui sic, sponte obiens mortem pro virgine, fatus:
Ipse ego defungar vita, peiora relinquat
Illa modò, mea mors morbum sanabit, in illam
Sic perstabat amor, mordebat cura salutis.
At Sator & præses rerum, quas machina triplex,
Continet, hunc ultrò patientem funera vidit
Desuper, hac voce est & pallida membra secutus:

Vos quoq; vos magno surgetis robore rursus
Hanc ubi post lucem croceis aurora quadrigis
Purpureos caelo geminabit & exeret ortus.
En dictum factum defunctus surgit, & ecce
Dilecta ex tumulo medicamina certa puella
Secum affert, natusq; quot essent inde futuri.
Hic ille est pastor, potius profundere vitam
Balantum voluit quam qui deperdere caetum,
Quanta gregis nunquam custodes cura momordit.
Dicite Sionides RVTAM, & quae mystica RVTÆ.
Utilis haud crescit densa inter RVTArubeta,
Non ea in incultis stirpis producit honorem
Herba locis, viret haec varijs ubi floribus halans
Hortus adest, illam crescit quoq; Salvia circum,
Salvia grata oculis, molliq; hyssopus in aruo,
Areolas quod habet manuum conamine factas.
Hae eadem ratio caelestis seminis, id quod
Creditur humanis agri instar mentibus, idq;
Non abit in segetem, callis vel semita, saxum,
Vel spinosus ager (mortalia corda notate)
Caelica si quando pietatis semina condunt.
Pectora docta malis, multoq; assueta dolori,
Hae sunt pingue solum, patientia crescit ibidem,
Hic Evangelij fructus documenta beatos
Intemerata ferunt, hic centupla mensuratur.
Dicite Sionides RVTAM, & quae mystica RVTÆ.
Acre gelu quando brumae intractabilis omnem,
Convexis nemorum iucundum demit honorem,

Stirpi-

Stirpibus hortorum decus exiit, arbor opacis
 Stat viduata comis, in syluis, arbor in hortis,
 Gramina camporum canescunt, omnia flore
 Quæ modò vernabant, nunc languent frigore lesa:
 Tunc Boreas gelido crebescens murmure RVTAM
 Non tamen exustus contristat viribus: illi
 Qualis in æstate est, hyberno tempore talis
 Et color, & vigor & foliorum mira venustas.
 Hac etiam diui præcepta salubria verbi
 Virtute excellunt: nulla mutantur in hora,
 Cumq̃ triplex vasti populatrix flamma resoluet
 Mundi opus in nihilum, multo tamen illa manebunt
 Inuiolata igni. gazas consumit opesq̃
 Longa dies: aurum, fugitiua potentia, splendor,
 Copia gemmarum, & quæ cuncta hic mundus adorat,
 Deficiunt viuo miseros solamine, mortis
 Ante oculos gelida quando versatur imago.
 Ast illa extremos nos ad Garamantas & Indos
 Circumstant comites: ferro, rubigine nulla
 Intereunt, recto sed monstrant tramite CHRISTVM.
 Dicite Sionides RVTAM, & quæ mystica RVTÆ.
 RVT A veneniferus serpentum ut morsibus obstat,
 Quos fugat assiduè longis inuisa colubris:
 Mixta manu infensâ, & non pocla innoxia RVT A
 Arcet, vulneribus facilis medicatur apertis.
 RVT A Euangelij sic presentissima sanat,
 Quos anguis diros Phlegethontius intulit ictus.
 Hac sola occultos animi lenire dolores,

Hæc

Hæc medicina potest peccati tollere virus.

Dicite Sionides RVTAM, & quæ mystica RVTÆ.
RVT A oculos acuit cæca caligine tectos,
Et caput & cerebri RVTÆ fortescit odore
Mollities acri: liquidum depromit ad usus
RVT A oleum medicos: fluidum dat RVT A liquorem,
Lignea suggeritur si virga, accenditur ignis.
Hic iterum nostra cœlestia dicta saluti
Non more absimili conducunt, cæca tenebris
Pectora Cimmerijs hinc Luminis igne, Patrisq;
Natiq; accipiunt lucem, anxia corda iubentur
Hinc deploratis melius considerare rebus.
Hinc sacra aspergo lymphæ, hinc & riuus IESV
Vulnere descendens largè eliciuntur iisdem
Credula suggeritur si flamma accensa precando.

Dicite Sionides RVTAM, & quæ mystica RVTÆ.
Dira lues quoties serpit per rura, per vrbes,
Antidoton RVT A est, quo non præstantius ullum,
Pernicies abigit RVT A, & contagia pellit.
Hoc errata modo vitæ, commissaq; labes
Ne corda ulterius maculis mortalia soluat / v
In peius, prohibet diuino in codice Moses,
Sanctorum minitans pœnas sacra pagina vatum.

Dicite Sionides RVTAM, & quæ mystica RVTÆ.
Qualiter in viridi vernantem gramine RVTAM
Non leuis vrit amor, Paphyæ sed RVT A puellæ
Vsq; inimica viret: Turpes meditantur amores
Quicumq;, & vetitos temerant quicumq; hymenæos,

Illos

Illos haud aliter Mosaica carmina, Pauli^q
Accusant praecepta, illis Acheronta minantur,
Pœniteat fontes nisi tota mente quod actum.

Dicite Sionides RVTAM, & quæ mystica RVTÆ.
Ut viola, utq; rose, melilotus, amaracus, alba
Lilia, marrubium, thyma, mentha, sisymbria, myrtus,
Cumq; hederis, laurusq;, & suauè rubens hyacinthus,
Et decora haud temnenda, & honorem iure merentur
Cuncta suum, folijs ut quæ, quoq; floribus, & vi
Ingenita morbos pellenti pharmaca gignunt:
At RVT A utilior non ulla enascitur herba
Omniparo terra è gremio, virtute suprema est,
RVT A potens, acris, viridis, iucunda, salubris.
Sic laudes retinent & nomen, acuta Platonis
Scripta, Stagiritæ sinuosa volumina, Tullii
Suadela Ausonia, & Demosthenis ora Pelasga:
Smirnaei profunt vatis monumenta, Maronis
Carmina penduntur magni, Flacciq; Camæna;
At longè minor horum est momentaneus vsus,
Magna Sionæ si spectas commoda vocis.
Quanto splendidior, quàm sidera Luna minora
Eminet, & quanto quàm Luna Hyperione natus:
Tanto codicibus præstantior omnibus extat
Pagina quæ pandit sanctissima scita Iehouæ,
Quæ scita æternum non delebuntur in æuum.
Talibus atq; alijs, quàm lux illustrior, illa
Quam medio spargit Titan altissimus orbe,
Ante oculos, interq; manus caussa obuenit, & si

C

Nulla

Nulla alia, hæc certè dignissima caussa liqueret,
 Saxonicos quare clypeos in sine paternum
 ENSES exornent BINI & RVTATA CORONA.
 Nec longus opus hîc ambagibus esse videtur.
 Qui dubitas, accede ad templa scholasq̃, loquentur
 Immortale Ducum pietatis nomen, ubiq̃
 Religio per quos nostras sincera per oras
 Annos tot mansit, sua nunc quoq̃ tecta reseruat.
 Qualis ubi cunctis præcones gentibus amplum
 Bissenos CHRISTVS socios legauit in orbem:
 Talis Saxonica sub RVTATA tuta fouetur
 RVTATA Euangelij cultis Ecclesie in hortis,
 Leucoris est testis, Phæbo gratissima testis
 Et Musis Philyre, Mulda, Albis, Salaq̃ testis.
 RVTATA virens extolle comas, vigor iste perennis
 Sit tuus, ut creuit crescat, nec crescere cesset:
 Te crescente capit Respublica nostra vigorem.
 At vos Christi ad tria qui procrescitis una
 De stirpe augusta generosa germina RVTAE,
 Este una, teneramq̃ una producite vitam,
 Urbibus & populis optata ut gaudia surgant,
 Qui saluis vobis quoq̃ sperant omnia salua.
 Nunc te nate Dei extensis ad sidera palmis
 Te nunc appello supplex, tua numina posco,
 Exaudi, auxilio votis neq̃ durus abesto.
 Principibus, princeps o clementissime nostris,
 Omnibus in factis sortem largire secundam,
 Subiecta ut patri placidi virtutibus arua.

Longa-

Longauiq̄ regant, sedes adeantq̄ beatas
Non nisi Nestoreos felix compleuerit annos
Quisq̄ Ducum, quot Saxonico de sanguine surgunt.
Luētantem aduersa ventosi murmuris aura
CHRISTE Ecclesiam defensor respice: cernis
Parte alia ut Stygius spirans immane tyrannus
Nunc hos, nunc illos hinc concitet inde maniplos,
Depopulent ut aperta qui vineta, ruinam
Impendere, extrema videt nempe omnia mundi?
Parte alia extollat caput exitiabile Turca,
Infandumq̄ fremat, laudemq̄ à funere ducat
Christicolūm, CHRISTI nomen numenq̄ cauillans?
Ergo ope diuina presentibus eripe damnis,
Te prater nemo est, qui nos defendere possit.
Occurre insidijs Satanae, fraudesq̄ malignae,
Quas fingit, format, mentito seminat ore,
Aerumnosa suis asseclis damna reportent.
Tutare Hungariam, detrude à finibus hostem
Barbaricum, nobis tu murus aeneus esto.
Turcam submoueas, qui nostri infamia secli.
O DEVS, huic furia tellusq̄ polusq̄ negetur,
Quae tot blasphemio conuicia spargit ab ore,
Ut tua clarescat sceleratis gloria Turcis,
Nec te lingua DEVM cessantem pessima dicat.
Sed potius quod sis nostrae anchora firma salutis:
Pectora concutient faecunda, ut Martia furta
Praualeant: verum nil Marsq̄ dolusq̄ valebunt,
Si tu aderis: nec enim CHRISTE auguror illud abesse

Longius auxilium, quo in maiestate stupenda
Hostibus eripies agmen tua sacra professum.
Interea meritò dignis nec laudibus hora
Matutina tuis, nec vespertina carebit,
Te media luce, & mediate nocte canemus.
Turce, quid armorum fidens crudelia poscis
Bella, & in imbelles CHRISTI baccharis alumnos,
Non secus ac rabie laniandi motus & ira
Lanigeras rapido mandit lupo ore bidentes?
Quid Mahomete, DEI natum sic ludere acerbis
Exultas dictis? Deitatem & regna paterna
Quid furiose negas pia sacra fidemq; cauillas?
Non peditum nimbus, non te magna alipedum vis,
Non te scutorum seruabit copia: non te
Iam tunc falcatis defendes ensibus, ipse
Quando sui Nati DEUS ulciscetur honorem.
Me maior supera Dominus dominatur in aula, &
Vicisti, dices, vicisti victor IESU,
Caesareas conunc miser ah miser ante quadrigas.

Gloria in excelsis DEO.

F I N I S.

9
E 208

(X 220 6375)

M.C.



IL
 RV
 FL
 PRI
 NV M
 N
 DO
 M
 MO
 NIAE
 MOS
 DOMI
 O HAN
 VGI
 S
 mos
 M
 MO.

